


V c
2767





h. 23, 8. Q. N. 23 (8)

2. D. B. V.

Vc
2767

**IUSTITIAM BELLI
ET PACIS
GLORIOSISS. PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIÆ
MAURITII**

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO

*PRINCIPE REGIO ATQUE ELECT. SAXON.
HEREDE ETC. ETC.*

**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
POTESTATE**

**AB INCLUTO ICTORUM ORDINE
FACTA**

PRÆSIDENDO

**PHILIPPVS FERDINANDVS
A KUHLEWEIN**

UNAQUE RESPONDENDO TUEBITUR

GEORGIUS BENEDICTUS BEYER.

AD D. XXII. OCT. MDCC XII.

VITEMBERGÆ,

PRELO CHRISTIANI GERDESII.

3342





§. I.



Nter eos, qui Saxonum famam
gloriamque inprimis sustinue-
runt, Saxoniae Principes, haud
ultimum locum sibi vindicat
MAURITIUS, Dux & Septem

In rebus a
Mauritio
gestis ex-
plicandis
plures fue-
runt occu-
pati.

Vir, Princeps Sapiens pariter
atque animosus & prorsus ejusmodi, qualem ra-
tio illorum temporum requirebat. Cujus no-
men celebre semper & non modo apud suos,
sed & apud hostes magnum fuit. Animus ad
quævis pericula subeunda interritus, erectus, fidei
& libertatis qua nihil Saxones (a) omni tempore
carius habuerunt, tenax. Amplam res gestæ &
edita virtutum exempla scribendi occasionem
præbuerunt STENIO, (b) CAMERARIO, (c)
HEIDENREICHIO, (d) ALBINO, GUTLERO,
BARTHIO, MEURERO, VVOLFFERSHUSIO,
SCHIRMERO, LAUTERBACHIO, FUSIO,
BERSMANNO, FRISCHLINO & inprimis

A 2

ARNOL-

ARNOLDO, (e) ut eos qui non ex instituto res ejus exposuerunt, (f) aut partem tantum earum illustrandam sibi sumserunt, (g) silentio prætermittam.

Saxones a
Francis
non sunt
sub jugum
missi.

(a) Quotquot de Saxonum factis tradunt, ingenue factentur, illos omni tempore pro libertate acerrime propugnasse nihilque in causa, quæ ad salutem publicam conservandam pertineret, neglexisse. Hoc nomine ipsi eos Franci, cum quibus per tres & triginta annos, EGINHARDO teste, de Imperio contenderunt, admirati sunt, a quibus tantum abest, ut eos sub jugum missos esse existimem, quod *Auctor German. Princ. Cap. 1. Saxon. §. 3.* asserit, ut rerum argumentis inductus, potius affirmem, Francos Saxones diuturno bello non domuisse, sed vix labefactasse, & acceptis pacis & pietatis Christianæ legibus, in fœdus & societatem libenter recepisse. Itaque Saxones meliori conditione, quam Alemanni & Boji veteres, in unam cum Francis Rempublicam veluti coaluerunt, libertatemque suam conservaverunt. Franci ipsimet ingenue hoc tradunt & suffragantur alii Scriptores, *vid. EGINHARDUM Cap. VII. CHRON. Virodunense apud Carolum Labbeum, Anonymum Poëtam a. P. Ignatio Probero editum illiusque eruditus animadversionibus auctum in Annal. Caroli M. ad annum 803. WITICHINDUM Corbejensem in Annalibus L. I. p. 634. apud MEIBOMIUM Tom. I. ADAMUM BREMENSEM Lib. I. Cap. VII.* Ex his emendandus est *Auctor Annalium Francicorum*, qui ad ann. 785. tradit, totam Saxoniam subjugum missam esse, aut ad trans-Albinos Saxones referendus, quos non eadem cum cis Albinis conditione habitos fuisse, facile concedo add. *WITICHINDUS, c. 1. Lib. I. pag. 635. seqq. SCHURTZFLEISCHUS in Dissert. de antiqua Saxonum Dignitate & in Wüickindo*

pag. 34. lit. CC. VERPOORTEN d. Ducat. hered. pag. 37. seqq.

(b) SIMON STEINIUS *Lomacensis* Vir græce latineque doctus vitam *Electoris Mauriti* in compendio quidem, sed eleganter acuteque conscripsit, quod opusculum FREHERUS *Scriptoribus Germ. Tom. III.* inferere non dubitavit.

(c) JOACHIMUS CAMERARIUS non modo in commentario græce de fœdere Smalcaldico conscripto, quem Latino sermone expressit *Steinius* (extat apud FREHERUM *Tom III. Rerum Germanicarum scriptor. p. 387.*) res a *Mauritio* gestas memorat, sed & decem orationes aniversarias in memoriam ejus recitavit, quas edidit filius *Ludovicus Joachimus Lipsiæ Anno 1569.*

(d) Quotannis olim *Lipsiæ Mauriti* Patroni sui celebravit memoriam. *Heidenreichii, Albini, Gutleri, Barbii, Meureri, Wolfersbusii, Schirmeri, Lauterbachii, Fusi, Bersmanni, Frischlini* Orationes & Carmina quæ publice recitata fuerunt legi, sed parum ex iis profeci. Obvia ubivis tradunt, Scholasticarum declamationum more, neque cum *Camerarii*, quas modo memoravi, Orationibus comparari merentur.

(e) GEORGIUS ARNOLDUS *Cancellarius Naumburgensis* latine scripsit vitam *Mauriti*. In nostram linguam transtulit SCHIRMERUS, *Bibliotheca Dresdensis præfectus*. Opus nondum publici Juris factum est. Res a *Mauritio* gestas acurate & fideliter exponit, ut omnibus aliis qui de *Mauritio* scripserunt jure meritoque sit præferendus. GIOVANNI eum etiam allegavit *in Sax. p. 62.* Sed is *Schirmeri* versionem ab *Arnoldino* scripto diversum opus esse, puto, credidit nam *p. 243. Schirmerum* laudat & commendat nulla *Arnoldi* facta mentione.

(f) Quis omnes memoret qui *Mauriti* res gestas attigerunt.

gerunt. Nullus est, qui illorum temporum Historiam tradidit, nullus est, qui Principum Electorum Saxoniae res gestas exposuit, qui non *Mauritii* fecerit mentionem, SLEIDANUS THUANUS & ex nostris ALBINUS, HORTLEDERUS, FABRICIUS, PECKENSTEINIUS, MENZIUS, SCHURERUS in *Chronico Dresdensi M.S.* WECKIUS, in his sunt praecipui, & ut reliquos omittam, inprimis acuratissimus ille & plenissimus *Annalium Saxoniorum* conditor MÜLLERUS.

(g) De bello quod cum Joanne Friderico noster pro Caesare gessit NICOLAUS MAMERANUS scripsit, cujus quae huc pertinent opuscula, FRÉHERUS & SCHARDIUS *collectionibus suis Scriptorum Germanicorum* inseruerunt. De bello contra Impetatorem *Carolus V.* gesto, CRULLIUS, BRANDT & novissime BARTENSTEINIUS egit. Historiam proelii quod cum *Alberto* commissum & nostro fatale fuit, WINTERUS tradidit. Sed de his aliisque, qui circa unam vel alteram partem, rerum a *Mauritio* gestarum, occupati fuerunt, infra suo loco dispiciemus.

§. II.

De hoc *Heroe* cum deliberatum habeam aliquid perscribere, consilium mihi haud est, acta ejus justis temporum intervallis distinguere, & plenam *Mauritii* historiam dare. Voluminum aliquot hoc opus est, non unius Dissertationis. Id mihi in praesenti tantum curae erit, exemplo aliorum (a) qui Principum res gestas ad Gentium & Publici Juris principia revocarunt, justitiam eorum, quae a *Mauritio* Electore gesta sunt, asserere, & ex utroque universali & particulari Publico Jure vindicare.

(a) Ita

Instituti
ratio.

(a) Ita *Illustris* DN. COCCEJUS Justitiam belli & pacis Regni Portugalliae conscripsit, & KESTNERUS Justitiam belli & pacis Friderici III. Electoris Brandenburgici, nunc Porufforum Regis.

§. III.

Post obitum patris HENRICI, (a) primogenitu-
 ræ jure, (b) quod ut in aliis regnis, ita & in Ger-
 mania, ante receptas leges peregrinas (c) & inter
 Misniae Marchiones Ducesque Saxoniae olim ac
 in Linea Albertina (d) usque ad nostra tempora,
 si JOANNIS GEORGI I. ultimam voluntatem (e) exci-
 pias, perpetuo observatum fuit, in paternam hæ-
 reditatem solus succesit, (f) fratri *Augusto* redi-
 tibus quibusdam Apanagii veluti loco assigna-
 tis. (g)

Mauritius
 primoge-
 nit. Jure
 succesit.

(a) De Patre MAURITH nostri HENRICO cujus vitam FREYDINGIUS conscripsit ineditam huc usque, SECKENDORFF in *Comment. Hist. & Apol. de Lutheranismis Lib. I. P. II. p. 148.* & MÜLLERUS in *Dissertat. de Henrico egit*, de matre ejus, majoribus, loco & tempore nativitatis, primis infantiae & pueritiae annis, quibus jam magnam de se apud omnes spem excitavit, data opera nihil addo. Instituti enim ratio ea me omittere jubet, quæ expedita sunt, & passim traduntur, nec ad res gestas Nostri pertinent.

(b) Juris quidem Naturalis est ut liberi potius quam
 alii succedant in bona parentis, deficiente alia defuncti di-
 spositione, saltem postquam occupandi jus sublatum est, &
 post mortem disponendi licentia data. Sed ut æquali jure
 ad omnes descendentes bona deferantur ratio haud postu-
 lat,

De Succ.
 descen-
 dentium
 juxta LL
 Natur.

lat, dummodo singulis tantum relinquatur, ut necessariis alimentis haud destituantur. Hac ratione Leges nituntur, quæ certam tantum bonorum partem, liberis deberi constituunt, quam vocant Legitimam; hac sustinentur statuta, quæ quantitatem illius imminuunt. Neque Juris Naturalis est illa Romanarum Legum de triente & semisse dispositio, cum ipsi olim Quirites quarta fuerint contenti. Quod ad Imperia attinet, tantum abest, ut provincias inter heredes ex æquo dividi Gentium Jus postulet, ut potius primogenituræ jus evidentibus argumentis confirmet. Qui enim in unam olim coaluerunt Rempublicam Cives, qui ad unum Principem summam Imperii detulerunt potestatem, eam perpetuo voluerunt esse penes unum. Nihil magis vinculo unitatis, quo civitates continentur, nihil saluti Rerumpublicarum repugnat, quam Imperii divisio & dispersio provinciarum. Quod si autem Imperium ad unum populus deferri voluit, sequitur eum primogenitum reliquis præferre voluisse. Is enim statim dum nascitur jus hoc sibi acquirit & jam tum spe & destinatione civium patri suo superstiti veluti heres fit & successor destinatur. Itaque ut Imperia dividantur expresso populi consensu opus est, ut Primogenitus solus succedat etiam citra conventiones & Leges quas vocant fundamentales, ipsa ratio naturalis postulat & tacita ac præsumta populorum voluntas sancit.

(c) Ita nimirum sentio, apud *Francos* ac reliquos Germaniæ populos primogenituræ jus olim non inter Principes tantum Imperii, sed inter cives etiam aut Equestris saltem ordinis homines in usu fuisse. Cujus vetustissimi juris vestigia in Nobilibus Imperii immediatis. Vid. *Bürgemeister von Reichs-Abel* / p. 286. *seqq.* ac prisca Tabulis investiturarum supersunt. Ut Angliæ ac quarundam Galliæ provinciarum jura prætermittam. Ubi jus Justinianicum in foris Germania

Jus primogenituræ est Jur. G.

Juris primogenituræ usus olim in Germ. Imp. obtinuit.

niæ introductum, & ob singularem æquitatis opinionem ab Jctis commendatum fuit, consuetudines majorum, quæ primogenito successione tribuebant, tanquam duræ & iniquæ exagitari, æqualitas contra successione & novella ius. a Jctis commendari, tandem jus æquius, iniquo, uti illi quidem existimabant, substitui, domestico derogari, recipi peregrinum cœpit. Neque substiterunt illi Jurium reformatores in privatorum causis, inter Principes etiam & ordines Imperii ubique divisionem urgebant, & si in illustri causa ab iis responsum postulabatur, aut decisio petebatur, contra primogenituræ jus pronunciabant. Imperatores quoque Jctorum sententiam, tanquam justiore alteri præferebant, ac postgenitorum causam tuebantur. Nam hac ratione & Principum potestatem divisis terris minui & distrahi sentiebant & intererat omnino auctoritatem legum Romanarum etiam ad causas publicas & controversias illustres proferre. Ita fere immutata fuerunt omnia, aliamque Germania induit faciem, donec in pristinum statum iterum se vindicare inciperet, alique primogenituræ jus privilegiis, quibus olim opus non erat, impetratis, alii pactis & conventionibus iterum revocarent.

(d) In Misniæ Marchia olim primogenituræ jus obtinuisse *Annales* docent. Namque ut alia omittam *Albertus Ottonis* filius justam belli causam se habere credidit adversus patrem, cum is in secundo loco genitum *Dietericum* Misniam transferre meditaretur, & irrita fuit patris voluntas, atque *Dieterico* vix *Weissenfelsensis* comitatus relictus a fratre fuit. Qua de re recte Cancellarius Saxonie Illustris *PEIFFERUS rerum Lipsiensium L. IV. s. 4.* scribit: *Otto Misnensium Præses duos filios genuerat Albertum & Theodoricum* INSTITVTOQUE VETERI inter plures defuncto Patri supersites filios ad MAJOREM NATU Dignitatis paternæ titulus cum potiore bonorum parte pertinebat

Jus Primog. obtinuit olim in Marchia Misn.

reliquis fratribus in exiguam sortem admisfis. Eum morem Saxones a Carolo Magno acceperant & nominatim Conradus, Ottonis pater, posteris suis præceperat, ut institutum hoc sequerentur. Cujus rei in testando memor Otto filium Albertum Dignitatis paterna & majoris bonorum partis heredem scribit. Hactenus ille. add. FABRIC. Orig. L. VII. p. 542. & PECKENSTEIN. Poliogr. p. 134. In Ducatu Electoratuve Saxonie Primogenituræ jus omni tempore obrinuisse, in propatulo est, & obrinere debere A. B. C. VII. & XXV. ac celebris illa Bulla Saxonica a FREHERO, GOLDASTO & LUNIGIO edita §. 4. cavet. Inde post *Friderici Bellicosi* obitum, qui primus Septemvirale Decus in gentem Misnensem intulit, filius ejus primogenitus *Fridericus*, quem alii *placidum*, *pacifium* alii vocant, ad Electoratum pervenit, licet natus ille esset, antequam Dignitas hæc in patrem fuisset collata. Fallitur enim KNICHENIUS qui in *Tr. de jur. d. non provoc.* p. 46. scribit, *Wilhelmum* primo, *Fridericum* secundo loco genitum fuisse, atque hunc ideo ad Electoratum putat aspirasse, quod post collatam Patri Dignitatem Septem Viralem demum natus esset. Quem ille errorem p. 106. & 114. iterum admisit & *Fridericum* tanquam natu minorem optionis jure usum esse contendit, quæ omnia ille perperam & frustra tradidit. Nam *Fridericum* Electorem an. 1411. *Guitelmum* fratrem vero an. 1425. natum esse constat. Electoratus ergo primogenito obvenit, licet ille ante *Alberti*, qui ultimus inter *Ascanios* Saxonie Electoratum tenuit, obitum natus esset, & optionis quoque jus non natu minor, sed primogenitus sibi vindicavit; quo exemplo notabili constat, frustra modum familiaris erciscundæ inter privatos usurpari solitum, ad illustria patrimonialia proferri. add. Dn. BEYERI Viri ob insignia in rem literariam promerita laude dignissimi *Diff. de Proverbio Major dividit Minor eligit* C. III. §. 4. ubi monet frustra Mül-

LERUM in *Annal. ad an. 1445.* hanc dividendi rationem improbare. Jam, quod ad *Lineam*, ex qua *Mauritius* noster ortus est, *Albertinam* attinet, is, a quo nomen illa accepit, *animosus* Saxonix Princeps, ultimis tabulis Primogenito prospexit, noluitque amplius discindi in partes & dividendo minui terras viresque ac auctoritatem suæ Gentis. Inde *Henricus*, quem Pium dicimus, apanagio fuit contentus *Fribergensis* & *Wolckensteinie* præfecturarum. In his quoque summa territorii jura sibi reservasse *Georgius* videtur. Nam *Freiberga* eum edita sua promulgasse, & gravissimis interdictis cives ad religionem Romanam legimus revocasse. Ubi iterum *KNICHENIUS* aberrat a vero qui c. l. p. *III.* religionis causa tantum divisionem æqualem negasse fratri *Georgium* existimat, cum aliud *Alberti* Patris testamentum omnes doceat add. Decus *Vitebergensis* Academiae immortale. C. S. SCHURTZFLEISCHIVS *Ep. Tom. II. pag. 126.*

in linea
Albertin.

(e) Nec ante *Joannis Georgii I.* tempora, nec post fata ejus occurrit aque memorabilis divisio inter liberos in Gente Saxonica *Albertina*. Num integrum ei fuerit in Primogeniti præjudicium testari? quod SCHURTZFLEISCHIVS c. l. § pag. 135. negat. Num conventio *Joannis Georgii II.* inita obligaverit filium, qui & jam illo tempore natus primogenituræ jura acquisiverat? Quæ jura in partibus ulterius progenitorum Primogenito supersint? Cur nunc quoque in his lineis primo loco natus solus succedat, & de Juris Primogenituræ usu in linea *Albertina* attestetur? meum non est expedire, qui vix attingere hæc audeo & aliis excutienda lubenter relinquo.

(f) MAURITIVM Primogenituræ causa, sibi successionem vindicasse satis constar. Hunc pater sibi heredem destinaverat, qui jam anno 1541. in partem sui Imperii eum veluti susceperat, & superstes adhuc, jam successorem constitu-

Mauritius
provocat
ad Jus pri-
mogenitu-
ra.

stituerat. Ipse MAURITIVS in literis quas WECKERVS ex-
hibet p. 427. ad Avi testamentum provocat. Ita enim ha-
bent verba, quæ huc pertinent, privilegii illius, Als nach
Absterben des Hochgebohrnen Fürsten / Herrn Heinrichs /
Herzogs zu Sachsen x. x. unseres freunds. lieben Herrn
und Vaters / seliger und milder Gedächtnis / die Regierung die-
ser Lande nach Inhalt und vermöge weyland des Hochge-
bohrnen Fürstens Herrn Albrechts / Herzogs zu Sachsen
x. unseres gnädigen lieben Herrn Groß-Vaters Verord-
nung / an uns als dem Ältesten kommen und gefallen x.
Quare nescio quid hic improbet aut requirat KNICHENIVS
l. c. p. 112. *Cujus farina inquit, existimandus sit actus Mairi-
tii Electoris cum fratre Augusto non est ignotum.* Neque e-
nim dubium est jure suo MAURITIVM usum fuisse, neque
quisquam Historicorum tradidit, vel ipsi Augusto factum hoc
fratris iniquum fuisse visum.

(g) Nolo hoc loco de Apanagio & Paragio motis con-
trovertiis me interponere, aut dicta ab aliis repetere, vel
refellere, quæ perperam de Apanagio traduntur. Illorum
sufficiat notasse errorem, qui Apanagium ad modum Legi-
timæ Justinianæ metiuntur, quo nihil ab antiquis Germa-
norum moribus, & eorum Imperiorum, in quibus Monar-
chicum regimen obtinet, institutis dici potest alienius. De
Apanagio *Augusti* non memini me quicquam legere apud
Historicos Saxon. Præfecturas tamen aliquas ei assignatas fu-
isse, colligo ex Rescripto *Mauritii* ad Cur. Prov. Lips. anno
1549. emisso, ex quo, quæ huc pertinent, adjicio: *Soviel*
aber des Hochgebohrnen Fürstens / unseres fremdlichen lieben
Bruders und Bevatters / Herrn *Augusti* Herzogs zu Sach-
sen x. x. zugetheilte Ämte / Kloster = Städte und Ämt =
Sassen betrifft / wider dieselben sollet ihr keine Sache anneh-
men / noch Citation erkennen / biß auf ferneren Bescheid / aber
wider

De Apana-
gio Augu-
sti.

wider die Schrift: Sassen/ die in seiner Liebe Ort Landes
 gefessen/ weil wir uns dieselben vorbehalten/ möget ihr
 wie wider andere unsere Unterthanen verfahren. Admini-
 strationem Imperii penes *Mauritium* solum fuisse expedi-
 tum omnino satisque certum est *conf. Churfürst Augusti*
Landtags Proposition de anno 1554. ubi profitetur tempo-
 re *Mauritii* exiguam sibi potestatem relictam fuisse, verbis,
 und wiewohl wir dieselbe zeit eine kleine Regierung gehabt/
 so haben wir doch/ wie es in unsern Vermögen gewesen/ zum
 besten gerathen/ daß Friede erhalten würde/ x. x.

§. IV.

Primum ei bellum, aut contentio potius, De bello Wurzenfi.
 cum *Joanne Friderico*, Electore Saxonix, *Wur-*
cenæ (a) causa intercessit. Ad quod uti necessi-
 tate demum veluti adactus accessit, ita quæ sum-
 mo jure sumserat arma, æquis oblatis conditioni-
 bus, ponere iterum non dubitavit. (b)

(a) *Wurcena* urbs ad Episcopum Misnensem pertine-
 bat, sed *advocatia* & alia *territorii jura*, propterea quod in
Mauritii provinciis sita erat, aut *solus*, quod *ARNOLDUS* in Jus Mauri-
Vita Mauritii M. S. affirmat, aut una cum Electore *Joanne* tii in Ur-
Friderico, ut *MÜLLERUS* in *Annal. Ao. 1542. d. 10. Apr. p. 97.* bem.
& Weck. p. 384. asserit pactaque inter *Ernestum* & *Albertum*
 inita confirmant vid. *LUNIG. Contin. II. p. 245.* *Mauritius* bella
 in *Spirensibus* comitiis indicta fuerunt, sibi soli solvi postu- occafio
 lat, provincias *Mauritii* invadit, occupat urbem *Wurcenam*, litis.
 cum nihil eorum *Mauritius* timeret. Coactus itaque signa
 contra *Joannem Fridericum* confert & non procul ab *Osfitio*
 ponit castra, vim illatam vi repellere, si necessitas postularet,

paratus vid. FAUSTI *Stamb.* p. 232. Prudentiores disidii huius causam altius reperunt, & ex divisione inter *Albertum* & *Ernestum* inita accerunt. Cum enim illi Lipsiæ paternam hereditatem dividerent, & *Albertus* præter opinionem eam partem optaret, quam sibi relictam esse *Ernestus* cupiebat, tacita inter illos orta est dissensio, quæ cum & ad posteros propagaretur, causa fuit diverforum motuum bellorumque. Sunt qui in animum sibi revocasse memoriam huius rei *Joannem Fridericum* existimant, cum *Henrico* fratris *Georgii* hereditatem adenti adesset, eumque per omnes quas occupabat urbes fere comitaretur, easque florentissimas non sine dolore intueretur. Utcunque fuerit contra *Henricum* nihil quicquam tentavit, quem ob religionis purioris cultum plurimi faciebat. A *Mauritio* vero alienior erat, quod & iisdem ministris rerum, quos *Georgius* olim adhibuerat, uteretur, & *Smalcaldico* foederi accedere recusaret. GIOVANNI bellum hoc Wurcense cum altero quod pro Imperatore gessit *Mauritius* miscet & confundit p. 57. qui & frustra inter disidii causas primo loco commemorat quod *Joannes Fridericus Mauritium* verbis reprehenderit *lusu alce prædia atque urbes perdentem*. Bene enim SCHURZFLEISCHIIUS noster in notis ad *Albert. vitam* p. 129. Id vanum est atque futile inquit quod de contentione ex *alex* lusu orta vulgo commemoratur, ut mirum videri debeat cur *Hornius* (addo & *Giovanni*) hoc commentum insectatione dignum repetere nuper, & veris inter utrosque Principes excitati disidii causis annumerare voluerit. Quod summo Viro *Jacobo Augusto Thuno* licet extero & sæpius in rebus nostris hallucinato per spectum nihilominus exploratumque fuit, tamen nescio qua de causa ad *Sleidanum* ejus fabule originem refert add. HORTLEDER P. I. Lib. V. c. 13. & seqq. & SAGITTAR. in *Jo. Friderico* apb. 13. qui utrique *Lambertum Hortensium* Italum huius figmenti auctorem esse tradunt. (b) Cum

Giovann.
notatur.

(b) Cum hæc quæ agebantur ad *Philippum Landgravi-
vium Hassia* perferrentur, qui *Joanni Friderico* foedere, *Mau-
ritio* vero affinitate junctus erat, statim advolat, suam ope-
ram, æquas pacis conditiones offert, quicumque illas recusa-
verit, eum se hostem habiturum declarat. Quam solici-
te causam hanc egerit Landgravius *WECKIUS* l. c. fusius
exponit & *MÜLLER* ad an. 1542. qui eodem anno plures
inter Duces hos Saxoniam controversias illum composuisse
memorat. *Lutherus* etiam utrumque Principum ad pacem
& concordium adhortatus est, cujus Epistola quæ *Verma-
nung zum Frieden* dicitur Oper. Tom. VIII. p. 42. seqq. (Edit.
Altenb.) extat. *Mauritius* quem frustra quidam hujus con-
tentionis auctorem dicunt, vid. *SAGITTAR.* l. c. facile So-
ceri desiderio locum reliquit. Itaque compositam esse
hanc litem a *Philippo* scribit *FABRICIUS* L. IX. p. 39. Sed con-
ditiones pacis non exprimit. Constat autem *Joannem Fri-
dericum* urbem *Wurcenam* restituisse, & jura *Mauriti* atque
Episcopi Misnensis se in posterum non turbaturum esse pro-
mississe vid. *Balthasar Mercius Historic. Narrat. Sept. Elect.*
pag. 69. & *ARNOLDUS* in vita *Mauritii M. S.* & in primis
HORTLEDER von *Ursachen des Deutschen Krieges* /
qui Lib. VI. c. 15. ipsas tabulas transactionis exhibet. Pax cir-
ca ferias Paschales restituta est, hinc bellum hoc inter ipsa
initia extinctum, a placentis, quibus illo tempore vescimur,
der *Fladen Krieg* appellatum fuit. *Grimma* compositum
fuisse *FAUSTUS* scribit in *Sächs. Stamm-Baum* p. 232.
Historiam rei paucis, sed accurate, Tabula, quæ *Fribergæ*, ubi
sepultus noster Elector est, extat, his verbis exprimit: *Cum
Electore agnato orta de Wurcena oppido controversia specimen
industriæ singulare dedit & consilia pacis, suadente Socero
Landgravio, libenter admisit.*

Autor Pacis
Landgrav.
Philippus.

& Lutherus

Conditio-
nes Pacis.

§. V.

De auxilio
Imperatori
adv. Tur-
cos & Gal-
los præsti-
tis,

Inde arma in Turcam vertit (a) & suis sumptibus (b) Imperatori auxilium præstitit, fortitudinis gloriam non sine periculo retulit. Neque contra Gallum militanti eidem Imperatori defuit, sed pro perpetua (c) gentis suæ erga Imperatores observantia & anno 1543. & 1544. (d) auxilio eidem venit.

(a) Cum enim bellum *Ferdinandum* inter & *Solimannum* duceretur in Hungaria, virtutis *Mauritius* ibi documenta dare voluit & sponte cum centum equitibus & aliquot peditum turmis vid. MÜLLERI *Annal.* p. 98. Christianorum exercitui se adjunxit. In quo bello memorabilis nostri virtus inprimis eluxit, qui plurima magnanimi & fortissimi Herois facinora edidit. In hostem aliquoties profectus, terrorem maximum ei incussit. Cum autem aliquando velocitate singulari & veluti impetu in medios hostes irrumperet, circumdatus ab illis, equo dejectus ac in terram prostratus est, quem jacentem Barbari trucidassent nisi a *Bartholomæo Ribischio* (qui *der Schneiber* vocabatur) Nobili Thuringo MÜLLERUS d. l., alii *Variscum* dicunt, *Misnensem* etiam *Arnoldus*, corpore suo corpus nostri tegente, ictusque hostium excipiente, & tantisper impetum Turcorum sustinente, dum ex suis *Mauritio* quidam auxilio venissent barbarosque dissipassent, vitæ periculo liberatus fuisset vid. FABRIC. p. 96. *Orig. Sax. L. IX.* Egregium sane fidelissimi Satellitis exemplum dignumque ut posteris commemoretur, qui sanguinem pro salute Principis & totius Patriæ effundere minime dubitavit.

Mauritium
liberat Ri-
bischius.

(b) Suis sumptibus inquam. Ita enim & ARNOLDUS tradit

tradit & *tabula Misnenses*, quas PECKENSTEINIUS, CAMERARIUS & FAUSTUS exhibent, confirmant.

(c) Saxones sane omni tempore Imperatores comiter habuerunt, & nisi libertas Germaniæ, & religionis purioris cura eos urgeret, partes illorum nunquam deseruerunt. *Fridericus I. Elector* in bello Husitico Imperatoris causam non parum adjuvit, cujus vestigia filius, qui Pacifici nomen accepit, est secutus. *Albertus Dux*, Avus *Mauritii*, Austriæ copiis suis adjumento fuit & *Friderici III.* ac *Maximiliani I.* Imperatorum Majestatem defendit, Cæsarisque Rebelles per novem annos sustinuit. vid. PAULUS LANGIUS *Anno 1480.* *Fridericus III.* auctoritate sua effecit ut *Carolus V. Maximiliani* filius in Imperatorem eligeretur, cujus causa oblatam Imperatoriam Dignitatem ipse accipere recusavit. *Mauritius* ea fide amplexus est *Carolus V.* æque ac fratrem *Ferdinandum*, ut foceri etiam & agnati causam deserere non dubitaret. *Augusti* fratris *Mauritii* tanta in Domum Austriacam extant promerita, ut eum *Maximilianus* fratris loco haberet, eo mortuo, *Rudolphus II.* illum quasi patrem in honore haberet. Cætera omitto lubens. Nam de opera & auxilio a *Jo. Georgio I.* ejusque nepote *Jo. Georgio III.* Imperatoribus præstito, de fidei constantiæ & fortitudinis documentis, a Rege nostro Potentissimo editis, satius est, nihil, quam pauca addere. SCHURZFLEISCHIUS in *Friderico sapiente* non absque causa monuit, de meritis Saxonum in Gentem Austriacam satis amplum, justum volumen adornandi, esse argumentum.

(d) Imperatori enim Anno 1543. mense Octobri bellum adversus Gallum gerenti & *Landresum* obsidenti auxilio venit & sponte sua militavit: neque proximo anno, Mense Julio, auxilium ipsi denegavit, sed ad *Divum Victorinum* fortissimi Ducis officium exequutus est, adeo ut & singularem favorem & benevolentiam Imperatoris sibi conciliaret qui

C

&

& saepe multumque ipsum ad intimiora consilia admisit, & de belli summa negotiisque gravissimis cum ipso consultavit, ut maxima auctoritate non modo apud Imperatorem sed & totum exercitum polleret ARNOLDUS c. l. & FABRIC. p. 99. FAUST. p. 252. seqq.

§. VI.

Henricum Ducem Brunsvicensem, focero & agnato imparatis arma subito inferentem, suo adventu terruit & actiones ita moderatus est, ut bellum jam ardens sine caede extingueretur (a)

(a) Iisdem verbis hæc exposui, quibus *Tab. XII. Freibergensi*, inter cæteras *Mauritii* res gestas, describuntur. Vix enim possunt singula rectius exprimi. CAMERARIUS in Oratione sexta pag. 181. PECKENSTEINIVS illam & FAVSTVS II. cc. exhibent, apud hunc tamen *actione* legitur, ubi CAMERARIUS & PECKENSTEINIVS, quos sequi satius putavi, *actiones* scripserunt. Immiserat sceleratissimos homines, si vera sunt quæ vulgo traduntur, & quæ ipsi, qui perpetrarunt, in tormentis & suppliciis facti sunt, *Brunsvicensis*, qui pacua veneno corrumperent, ædibus ignes subjicerent. Socios certe *Philippi* & *Joan. Friderici* inque his inprimis *Brunsvicum* & *Goslariam* variis injuriis affecerat. Cum alia ratione ab eo æquum obtinere non possent, quin ille injurias injuriis cumularet, tandem *Philippus Landgravius* & *Electo* *Saxonie* *Joan. Fridericus* nihil tale metuentem invadunt, omnemque ditionem etiam arcem & urbem *Guelferbytanam* occupant ipsumque in fugam conjiciunt. Eo tempore bello *Turcico* *Mauritius* occupabatur, quem data opera *tardius rediisse* nonnulli existimant, ne in belli hujus societatem invitus traheretur. vid. ARNOLDVS c. l. Ast cum deinceps collecta manu *Brunsvicensis* sua non modo recuperare,

re, sed & Protestantium sacris addictas Saxoniae civitates de-
nuo laceſſere tentaret, *Mauritius* tandem foci & agnati
cauſam tuendam ſuſcepit. Sed oſtendit tantum arma, quæ
ſuſmerat, mox enim ſine omni fere cæde rem omnem
tranſegit. Compoſiti itaque belli gloria ſine controverſia
ad *Mauritium* pertinet, quem ſuo arbitrio id confeciſſe FA-
BRITIVS ſcribit pag. 99. Dux *Brunſuicenſis* una cum filio
ſponte, *Mauritio* ſuadente, in cuſtodiam Viſtorum conceſſit.
FAVSTVS p. 235. Ann. 1545. hæc contigiſſe, iidem tradunt &
docet quod circumfertur Chronodiſtichon:

Vt repetat patrlas HenrlcVs profVgVs arCes
bella Clens MerVit ſeqVe ſVosqVe Capl.

cujus rei miror nullam a MÜLLERO ad d. ann. factam ef-
ſe mentionem. ARNOLDVS paulo aliter rem refert.
Brunſuicenſem ait, adventu *Mauritii* perterritum, inducias ali-
quot dierum eſſe pactum. His elapſis, nocte proxima, *Mau-
ritium* una cum Socero caſtra *Brunſuicenſis* oppugnaffe,
Brunſuicenſem, ſtatim in fugam conjeſtum, cum elabi tuto
non poſſet, *Mauritio* ſe tradidiſſe, ab hoc Socero redditum,
ſed ea lege, ut honeſta cuſtodia captivus detineretur, quæ
ſingula ille pluribus exponit, add. LAMBERT. *Hortenſ. de
bell. Germ. L. I. p. 452.* Utcunque fuerit, id dubio tamen ca-
ret, injuriam fieri *Mauritio* noſtro ab illis, qui aut induciarum,
tempore illum cum *Brunſuicenſi* conſilia contra Electorem Jo-
annem Fridericum cepiſſe tradiderunt, aut cum VARILLA-
SIO aliisque dolo & inſidiis eum *Brunſuicenſem* in poteſtatem
ſuam redegeſſe ſcribunt. Ultramque Calumniam a ſe *Mau-
ritius* ipſe olim avertit, quod ARNOLDVS, HORTLEDE-
RVS aliique teſtantur.

§. VII.

Mauritius partes Caroli Imper. contra Socios foederis Smalcald. sequitur.

Contra foederis Smalcaldici socios pro Caesare stetit, (a) cujus causa *Mauritio* potior videbatur quam & DEUS eventu & praestita, si conjicere licet, victoria (b) approbavit. Nondum justam, Imperatorem bello invadendi, causam, nondum necessitatem, quae id postularet, adesse credidit (c) atque ipsum *Joannem Fridericum*, ut ab armis abstineret, sedulo est adhortatus. (d) Quod cum obtinere non posset, Provincias ejus non tam occupavit, quam in tutelam potius suam recepit, (e) ne aliis eae in praedam cederent & cum rei Saxonicae detrimento in alienam venirent potestatem.

Justitia foederis Smalcald.

(a) Quae ab aliis prolixè satis sunt exposita, in iis mihi breviori esse liceat. Foederis Smalcaldici justitiam plures vindicarunt, ZIERZIUS, BURGOLDENSIS, CARPZOVIVS, SECKENDORFF, de JENA, SCHILTERUS, in primis duabus Dissertationibus, quae apud GOLDASTUM *Pol. Imp. P. ult. pag. 1371. seqq.* extant HORTLEDERUS & CAMERARIUS in erudito *de foedere Smalcaldico Commentario* quem FREHERUS *Tom. III. fol. 787. seqq.* inseruit. Neque is ego sum, qui foedus hoc velim improbare. Ut nunquam alios ad religionem amplectendam armis compellere fas est, ita vim illatam declinare, repellere, conscientiae libertatem tueri, nunquam non integrum esse debet. *Mauritio* tamen justas fuisse causas puto, cur foederi isti accedere recusaret. Licetum illud foedus sane fuit, nescio an necessarium. Ipsi foederis rationes a foederatorum consiliis & conatibus etiam distin-

Mauritius non sine causa ei accedere recusavit

distingvendæ sunt. Hos magis, quam ipsum fœdus, Mauriti-
 tius improbasse videtur. Causas, quare Cæsari bellum infer-
 re noluit, explicant SLEIDANUS *L. 15.* & CHYTRÆUS
Sax. Lib. 15. sub fin. NATALIS COMES vero ineptus & ini-
 quus est, qui jurejurando *Mauritium* Smalcaldico fœderi ob-
 strictum fuisse, Cæsarique nihilominus sponte se adjanxisse
 tradidit *Lib. I. Hist.* quod utrumque, quam falsum sit & im-
 probum in aprico est. Add. HORTLEDER & ARNOLDUS *cc.*
 II. Pater quidem subscripserat fœderi MAURITIUS ut sub-
 scriberet, nunquam potuit persvaderi.

(b) Illustris COCCEJI dogma est. *Neminem in bello fe-
 re unquam occubuisse, nisi quem aut justa causa, aut prudentia
 belli gerendi destitueret vid. Diss. de justo prætorum exi-
 tu.* Hoc in medio relinquo, qui non ignoro victam cau-
 sam Catoni placuisse, nec ex eventu de justitia belli judicari
 posse. In bello *Joannis Friderici* adversus Imperatorem, cu-
 jus causa melior fuerit, vix ausim definire, & forte non de-
 foret, quod in utroque desiderari possit. *Mauriti* consilia
 sane prudentiæ & æquitatis plenissima mihi videntur, quod
 ex iis, quæ lit. sequenti annotabo, non obscure apparebit.

(c) Fœdus Smalcaldicum uti facile vindicari posse pu-
 to, ita vereor, ut omnes fœderatorum actiones æque excu-
 sari possint. Auxilia Geldriæ Duci contra Cæsarem præstita
 fuisse, vix negari potest. Obsequium omne prorsus Impe-
 ratori negasse, titulum etiam & elogium Cæsaris ei tribuere
 recusasse, vim intulisse potius, quam repulisse fœderatos,
 constat. Ut de Württembergica & Brunsvicensi causa nihil
 dicam. Hæc Mauritio displicebant. Is Cæsari fidem datam
 servandam esse censebat, & æquas accipiendas condiciones
 omniaque prius tentanda, quam armis de religione &
 Imperio contenderetur. Nolebat fidem habere eis, qui
 Carolum id agere suspicabantur, ut libertatem Principum

Giovan.
notat.

& puriora sacra opprimeret, saltem de illa voluntate, antequam certius constaret, causam Imperatoris non putabat esse deferendam. Pietas igitur & fides cum, ut agnati & Soceris partes relinqueret, ut in obsequio Imperatoris peristeret, commoverunt. Itaque injuriosus est GIOVANNI, Doctissimus ille & celeberrimus *Autor Germania Principis*, in MAURITIUM nostrum, qui *Saxon. p. 56.* scribit, MAURITIUM, *privatorum dissidiorum causa, multas urbes in Saxonia (in provinciis Electoris Joannis Friderici) expugnasse.* Privata enim, si quæ inter *Mauritium & Joannem Fridericum* intercesserant dissidia, ea omnia, *Philippi Landgravii Hassie* cura & opera composita fuerunt, quod Müllerus in Annalibus luculenter docet. Add. Lunig. Contin. II. p. 283.

Mauritius
pacis autor
est.

(d) Vix dici potest, quam solícite id egerit *Mauritius*, ut *Joannem Fridericum* & Socerum Cæsari reconciliaret bellumque imminens averteret. In Comitibus Ratisbonensibus ipse una cum Marchione Brandenburgico operam suam obtulit, legatosque misit ad *Joannem Fridericum* & fœderi Smalcaldici adscriptos, *Albertum Comitem Stolbergensem & Ludovicum Fachsum* Consiliarium suum & Consulem Lipsiensem, quibus alios addidit Brandenburgicus. Per hos promiserunt fociis fœderis Smalcaldici, si ipsis rem committere vellent, se omni modo eò elaboraturos esse, ut discordia inter ipsos & Imperatorem orta componeretur, dissidiorum causæ tollerentur, sacrorum autem jura, ita sibi curæ fore, ut ratio piorum & Christianorum Principum postularet. Sed hoc consilio, quod Ordines Imperii plerique approbabant, nihil apud fœderatos profecerunt. Recusabant accipere oblatas æquissimas conditiones Elector & Landgravius, sive quod iis tuto se fidem habere non posse suspicarentur, sive quod, postquam eum in statum res deducta esset, armis fortunam experiri decrevissent. Itaque infectis rebus Oratores *Mauritii*

ritti & *Marchionis Brandenburgici* ad suos redierunt. Hac de re *THVANVS Libr. II.* & *ARNOLDVS* legi merentur. Post hæc quoque cum jam susceptum bellum esset, & Elector *Joannes Fridericus Mauritio* Provincias subditosque suos præfenti commendaret, ille animum gratum & beneficiorum memorem coram declaravit, & denuo Electorem adhortatus est, ut, armis positis, cum Cæsare in gratiam rediret, operam suam, consilium, auxilium obtulit, quod fufius exponit *ARNOLDUS*, ut sane manifestum sit, invitum veluti & diu reluctantem tandem *Mauritium* compulsum adactumque fuisse, ad Provincias Electoris Saxonæ occupandas.

(e) Dixi in tutelam potius suam recepisse, quam occupasse Provincias *Electoris Joannis Friderici*. Eo enim res redactæ erant, ut nisi *Mauritius* se interposuisset, alii terras has devastassent. *Ferdinandus* sane impetum minabatur, irruere cum milite Bohæmico & Pannõnico paratus, nisi *Mauritius* impetum ejus prudenter sustinuisset. Cæsar *Mauritium*, ut occuparet *Joannis Friderici* ditiones, hortabatur, si detrectaret, non deesse alios qui partes has sibi deposcerent ostendebat, vim denique ipsi *Mauritio* minabatur, quem hostis loco se habiturum declarabat, si jussu exequi recusaret. *Mauritius*, quem *CAMERARIUS* in *Commentar. de fœder. Smalcald. Misnensem Ducem* vocat, comitia Ordinum indicit, Chemnitii primum, *Fribergæ* altera, quid faciendum sit, deliberat, quæ pericula immineant exponit. Approbant Ordines Optimi Principis consilium & ut quam primum Electoris subditos in suam tutelam recipiat, hortantur. Facile enim intelligebant, si alii provincia illa daretur, crudelius longe actum iri cum subditis Electoris communemque hanc sibi cum illis calamitatem fore. Itaque *Mauritius* se facturum esse jussu Imperatoris respondit, *Ferdinandum*, ut ipse subsisteret, neque terras istas invaderet, commovit, ad *Joannem*
Fri-

Mauritius
terras Ele-
ctoris occu-
pat.

Fridericum literas mittit, eique pluribus exponit, non propositum sibi esse, ditiones ejus eo consilio occupare, ut ipsi illas adimeret, sed ut servaret potius & ab aliorum injuriis liberaret. Deinde sine mora Electorales terras ingreditur, arces, urbes plerasque sibi subjicit, & quindecim dierum spatio fere omnes occupat, si Isenacum, Vittembergam & Gotham excipias, (de Libenwerda adde Peckenstein Poliochr. p. 163.) quæ singula plenius referunt SLEIDANVS. Lib. VIII. & THVANVS Lib. II. Hortlederus & Lambertus Hortensius II. cc. ac præcipue Arnoldus, qui & docent, multorum invidiam & indignationem sibi excitasse Mauritium, suscepta hac expeditione. Sed calumnias istas ipse publico scripto refutavit. Bene SAGITTARIUS in *Joanne Friderico* s. 17. n. 34. MAURITIUS inquit ob id (ob occupatum *Joannis Friderici* territorium) impietatis atque ingrata animi notatus crimine, quin & famosis libellis agitur, scripto publico suam exposuit innocentiam.

§. VIII.

Neque fefellit *Mauritium*, quod cœperat consilium (a) Imo fidei erga Cæsarem præmia amplissima accepit. Capto enim & Electoratu multato *Joanne Friderico*, Decus Septem Virale, quod alias in exterum translaturus videbatur, (b) Carolus, in gentem suam intulit, (c) & solemni investitura (d) Dignitatem Electoratus, Archi Mareschalliam, (e) Landgraviatum Thuringiæ, (f) Palatinatum Saxonicum, (g) Burggraviatum Magdeburgicum (h) & cætera Electorum Saxoniae jura ac Provincias (i) accepit.

(a) Ini-

(a) Initio quidem dubia satis & anceps *Mauritii* videbatur causa, *Joannes Fridericus* enim non solum, quæ *Mauritius* occupaverat, singula sine mora recuperabat, sed & omnem *Mauritii* Provinciam in suam redigebat potestatem, *Dresda* & *Lipsia* excepta, hanc quoque oppugnabat, irrito licet conatu, socium *Mauritii Albertum Rochlicii* capiebat. Sed omnem illam felicitatem una dies perdidit, fataleque prælium, quo victus oppressus & captus est Elector. Ad *Mauritii* gloriam pertinet, quod eo quoque tempore, quo prospera satis fortuna utebatur Elector, denuo pacis ei auctor fuerit, & æquas obtulerit conditiones, quem & eo ipso die, quo in Imperatoris potestatem venit, paulo ante pugnam illam fatalem, *ARNOLDO* teste, ut clementiæ *Caroli* se permitteret, est adhortatus.

Jo. Frid.
Mauritii
ditiones
occupat.

(b) Non deerant enim auctores *Carolo*, qui, ut in alium potius, quam in agnatum *Jo. Friderici* transferret Electoratum, suaderent, inprimis cum a sacris Romanorum *Mauritius* alienior videretur, & gener *Hassie Landgraviæ* esset, qui *Joannis Friderici* causam fuerat sequutus. Sed prævaluerunt apud *Carolus Mauritii* merita, fidesque data, & agnationis jus, legesque Imperii, quibus salvis, in extraneum Electoratus non poterat transferri. Itaque quod Gens *Misnensis* hoc Decus non prorsus amiserit, quod in alium & Pontificiorum Sacris addictum Principem illud translatum haud fuerit, id omne *Mauritii* fidei & prudentiæ debemus. In hac translatione *Cussemius* Pontificis & Electorum consensum desiderat. Sed illius quidem suffragium frustra requirit, Electores vero in translationem Electoratus consensisse, eamve saltim ratam habuisse, vel sola inaugurationis *Mauritiana* historia docet.

Electora-
tum cur in
Mauritium
transulit
Imperator.

(c) In gentem suam inquam. Frustra enim, extincto *Mauritio*, Decus Electorale a fratre ejus *Augusto* reperebat

D

Joan-

Joannes Fridericus Elector, Legatis ad Casarem & Ferdinandum æque ac Saxonie Ordines missis. Augustus ad simultaneam investituram admissus, ac succedendi spes ei denuo Anno 1549. literis Imperialibus facta erat. Vid. MÜLLERI *Annal.* p. 109. & 113. Tandem solemniter illa Naumburgensi transactione, quam HORTLEDER c. l. p. 668. sqq. exhibet, omni, si quod habebat, juri se plenissime abdicavit Joannes Fridericus Elector natus, eamque ut sancte servarent, filios moribundus sedulo est adhortatus. Historiam hujus conventionis non parum illustrant *Acta Comitiorum Provincia- lium* de anno 1554, quorum mihi copiam Dn. Gribnerus, egregium de his studiis nomen promeritus, benigne fecit.

Giov. no- GIOVANNI vero in eo sane mihi falli videtur, quod Joannem Fridericum Mauritio in Electoratu surrogatum fuisse sentit p. 62. lit. 9. & GOLDASTUS, ad quem provocat, eo ipso loco alia omnia docet.

(d) Per vexilla solemniter investitura peracta est, de qua vid. MÜLLER, in *Annal.* pag. 109. seqq. ubi prolixis verbis eam describit, & SLEIDANUS *Comment. Lib. XX. pag. mea 564. seqq.* THUANUS *Lib. V. HORTLEDER P. II. L. III. c. 85.* Plenissime singula peculiari libello persecutus est NICOLAUS MAMERANUS, quem excubere nolo, extat apud SCHARDIUM *Tom. II. p. 508.* Diploma translati Electoratus apud GOLDASTUM *de Majoratu L. II. C. 32. p. 237. extare GIOVANNI tradit p. 58. lit. r.* Frustra. Nam Bullam, quam ibi GOLDASTUS exhibet, mentalem ipse appellat, & non diffitetur, dicis gratia a se ad exemplum antiquarum Bullarum confictam esse. Vid. *ipf. p. 237. & p. 239.* Cæterum vulgo tradunt, *Mauricium* ultimum fuisse, cui per vexilla investitura concessa fuerit. Sed MÜLLER, in *Annalibus Saxon. p. 139. Anno 1566. d. 13. April.* AUGUSTUM fratrem *Mauritii* eodem vexillorum honore investituram accepisse

Bulla translata Electoratus.

piſſe affirmat. Add. *Dn. GRIBNERI* ſupra laudati *Programma d. ſeudiſ Vexillorum.*

(e) Hæc enim cohæret Electoratu, & ſaltim poſt interregni tempora perpetuo Ducatu Saxonico conjuncta fuit. Ita & translata ſunt reliqua jura, quæ Archi-Mareſchallia cohærent. Jus Directorii in Comitibus & inter Proteſtantes, Jus præferendi Imperatori gladium, Jus ordines ducendi in bello, patrocinium buccinatorum, & plurima alia, quæ ſingula commemorare non patitur ratio mei inſtituti. Ad Saxoniam Ducatum quod attinet, ex *HORTLEDERO l. c. p. 28.* apparet, inveſtituram reſtictam fuiſſe ad eam partem Ducatus, quam olim Elector natus *Joannes Fridericus* tenuiſſet, Mit dem Herzogthum Sachſen / ſo viel Herzog Johann Friederich daran gehabt. Hoc diſplicet *HORTLEDERO*, qui ad eum locum addit: *Quaſi vero integrum Saxonie Ducatum non habuerit, cum Elector tamen eſſet, & vigore A. B. Tit. VII. & XXIV. Saxonie Ducatus ad alium neminem, præterquam Electorem, ſpectare poſſit.* Sed ſalva res eſt. Uti enim facile *HORTLEDERO* damus, ſolum Electorem Saxoniam, Ducem Saxoniam, primi Ordinis, inquam, Ducem eſſe, & jura priſci Ducatus habere, ita ille viciffim nobis concedat neceſſe eſt, Saxonici Ducatus partem etiam ante hanc inveſtituram tenuiſſe *Mauritium*, quod tabulæ diviſionis inter Duces fratres *Erneſtum & Albertum* initæ ſatis teſtantur. Atque eo mihi reſpexiſſe videtur *Carolus*, qui primum de Electoratu, qui priſci Ducatus jura continet, dein de Ducatu, de terris, inquam, Ducatus, quas *Joannes Fridericus* poſſederat, *Mauritium* inveſtitiv. In noſtris Electoribus res indubia eſt, eos ſolos Saxoniam tenere Ducatum, cum utraque *Alberti & Erneſti* jura ad ipſos pervenerint, & quæ diviſæ antea fuerunt Saxoniam civitates, ſub *Mauritio* in unius redierint poteſtatem.

D 2

(f) Land-

De trans-
lato Land-
grav. Thuring.
et Misnia
March.

(f) Landgraviatus Thuringiæ, qua ratione ad Misnenses pervenerit, in vulgus notum est. In divisione memorabili inter *Albertum & Ernestum* ad utrumque aliqua pars hujus Provinciæ pervenit. Sed solemnè illa, de qua hic agimus, investitura, omnia redierunt ad unum, *Mauritiusque* unus & solus declaratus est Landgravius Thuringiæ. Restituit quidem aliquam partem postea agnatis, qui varias inde in his terris tenent Dynastias, sed jura prisca Landgraviatus *Mauritio* relicta sunt, ut Principatus, cum quibus Duces Saxonix Lineæ Ernestinæ investiuntur, novarum Provinciarum rationem habeant, non veteris Landgraviatus jura, licet titulo Landgraviorum simultanæ investituræ causa utantur. Itaque jus dicendi votum Landgraviatus Thuringici causa jure suo Rex noster Potentissimus sibi vindicavit. Duces Principesque Saxonix Principatuum suorum nomine vota dicunt, Eadem Misnenfis Marchiæ est ratio. Nam hujus quoque vexillum, cumque eo omnia priscorum Marchionum jura *Mauritius* accepit.

Palatinat.
Saxon.

(g) Palatinatus Saxonix equidem jam ad Misnenses pervenerat, antequam ad Septemviralem Dignitatem adspirarent, sed contradicentibus Anhaltinis, qui Palatinatum Electoratus coharere contendebant, quorum jus per *Bullam Saxon. Caroli IV.* confirmatum fuit. Atque, si quidem verum dicere licet, omnino existimaverim, Palatinatum ab Electoratu separari olim vix potuisse, & revera demum ad nostros post translatum Electoratum, plene & citra controversiam pervenisse. Unde minime quoque omnibus Ducibus Principibusque Saxonix communis est, sed proprius soli Electori. Quamvis olim etiam reliquos Duces Saxonix titulo Palatini usos fuisse, inque ea sententia, quæ Palatinatum Ducatus coharere negat, plerosque fuisse, non ignorem. Vexillum Palatinatus Saxonici *Mauritio* prætulisse *Joannem Comitem Orlemburgensem* *MAMERANUS* memorat *l. c. p. 513.*

(b) Quomodo jura Burggravii, inprimis capta civitate Magdeburgica, sibi asseruerit Elector noster, infra videbimus. Burggrav.
Magdeb.
Cetera latius patent, quam ut hic commemorari possint. Id saltem addo, solum Electorem titulo hoc uti, non fratres ejus, non filios, non alios ex hac gente Principes, quia hoc quoque Decus Electoratus cohæret. *Annam* tamen, conjugem *Augusti*, Burggraviam Magdeburgensem se scripsisse, & *Wilhelmum* hoc titulo una cum fratre Electore usum esse, deque eo inter *Albertum* & *Ernestum* controversiam intercessisse, scio.

(i) Singula quis memoret. Pauca exempli causa satis est allegare. *Jus Primogeniturae*, quod ex *Ernestina* Linea in suam Lineam, transactione cum *Joanne Friderico* facta, transtulit, ita, ut, quæ antea *Ernestina* Linea, ratione Primogeniturae, habuit jura, nunc *Albertina* Linea sibi asserat, quod vel ipse in suo de *Majoratu* opere *Consiliarius Vinariensis* GOLDASTUS passim agnoscit. Vid. illum *L. II. c. 33. 34. & 35.* *Jus Vicariatus* per Saxonici Juris terras una cum Palatinatu & Ducatu in *Mauritium* transit. De *Burggraviatu Altenburgico* quoque nominatim peculiari vexillo, teste *MAMERANO*, investitus est, quale etiam *Plisnensis terra* & Comitatus *Brenensis* causa accepit. Accepit etiam *Jus Advocatie* in *Episcopatum Naumburgensem*, *MÜLLERO* teste, *p. 113.* & *Pflugium*, Equitem *Misnensem*, quem *Capitulum* post obitum *Philippi, Com. Pal. Rhen.* legitime elegerat, remoto *Amsdorffio*, quem *Jo. Fridericus* substituerat, in locum pristinum restituit. Adde *PAULLIN. Annal. Isenac. p. 149. seqq.* *SAGITTAR. Hist. Episc. Naumburg. §. 40.* & *SCHURZFLEISCHUM in Alb. Animof. p. 129.* *Jus Directorii in circulo Saxonico Superiore*, aliaque decora, lubens omitto. Quis enim singula Ducum Saxoniae, Landgraviorum Thuringiae & Misniae Marchionum Jura, Prærogativas, Præensiones recensere?

Transit in
Mauritium
Jus Primogeniturae.

Jus Vicariatus
Altenburg.
Burggrav.

Advocacia
Naumburgica.

feat? Satius est de his nihil quam parum dicere. Acta sunt illa inaugurationis solemnia d. 24. Febr. Anno 1548. *Augustæ*, quæ ipsum *Joannem Fridericum*, qua erat pietate & constantia, non modo intrepido spectasse vultu, sed & pro novo Electore fecisse vota, eique bene precatum esse, *THUANUS* & *SLEIDANUS* docent. *ARNOLDUS* addit, dixisse *Joannem Fridericum*: Ich freue mich in Warheit sehr / daß ich meinen Vetter heute in solcher Würde sehen soll. Satius nimirum iudicabat in agnatum hoc Decus quam in extraneum, in Principem purioribus sacris addictum, quam in Romanæ Ecclesiæ deditum transferri. Atque ita quidem feuda Imperii in *Mauritium* investitura solemniter tradita fuerunt. Sed de *feudis Bohemiæ*, qualia plurima tenent Saxonix Principes, *Ferdinandus* Rex, qui ea sibi servare cupiebat, litem *Mauritio* movebat. Composita illa est anno sequenti 1549. Obtinuit itaque de feudis singulis consuetam investituram. Sed *Fribusium* & *Saganum* Ducatum, quem anno 1471. *Joannes* Dux Silesiæ *Ernesto* & *Alberto* pro 55000. aureis vendiderat, *Ferdinando* noster restituit. Vid. *PAULLIN. Annal. Isenac. p. 121.* *LUCE Chron. Siles. P. IV. p. 1092.* inprimis Perillustris Autor des *Europäischen Herolds p. 558.*

Etiam Feuda Bohemiæ.

§. IX.

Erant, qui eo tempore nostri animum a sacris Romanæ Ecclesiæ non adeo alienum crederent, uti ad omnia credenda timor est facilis. At ille religionem veram maximæ curæ semper habuit, (a) omnibusque facile constantiam approbavit. Nam & formulam interemisticam recusavit accipere, (b) & Legatos ad concilium Tridentinum

dentinum mittere distulit, tandemque non nisi æquis oblati conditionibus misit, (c) ac pace inprimis Passaviensi præstita satis Protestantium causæ (d) prospexit, & omnes Directoris inter Evangelicos partes ex asse implevit. (e)

(a) Ipse ARNOLDUS scribit, plebem per omnem Saxoniam in ea opinione fuisse, *Mauritium* a Pontificiorum sacris non adeo alienum esse, eosque, qui *Mauritii* causam sequebantur, Patriæ & religionis proditores appellasse. Add. FABRICIUM *L. IX. p. 101.* Quibus Magdeburgenses conviciis *Mauritium* sacrorum causâ lacefferint, non ignotum est. Noster aequo animo calumniantium injurias ferebat, ipso opere, quam sibi curæ essent puriora sacra, ostendit, tantumque abfuit, ut quicquam in veræ religionis præjudicium admitteret, ut ei potius præ aliis debeamus eam, qua fruimur, sacrorum libertatem.

(b) Cum Elector *Mauritius Augusta Vindelicorum* rediret, ubi Imperator formulam reformationis, quæ propter ea, quod usque ad concilium commune servari debebat, INTERIM dicebatur, conscribi jusserat, Statibusque proposuerat, cujus capita exhibet SLEID. *Lib. XX. pag. edit. meæ 565. & 573.* verbi divini ministros aliosque divinarum literarum peritos convocavit, & illum librum sub examen vocare jussit, & publice declaravit, se eum, si quicquam, quod veritati cœlesti repugnaret, contineat, non recepturum esse, in adiaphoris autem lubenter aliquid daturum Cæsaris auctoritati, si publica pax & unio religionis illa ratione conservari possit. Theologi, quibus id negotii datum fuerat, formulam hanc interemisticam Evangelicæ doctrinæ agnitæque veritati non convenire, pronunciant, eaque de re ad Ordines a *Mauritio* convocatos, Ordines ad *Mauritium* referunt.

Mauritius
Interim accipere recusat,

ferunt. Vid. WECK. p. 442. Commoverunt hæc Optimum Principem, ut, licet sæpe multumque ab Imperatore hujus libri causa interPELLARETUR, subscribere tamen illi constanter recusaret. vid. SLEID. L. XX. p. 179. & inprimis MÜLLER. Ann. ad an. 1548. qui quinque conventus eodem anno religionis causa *Mauritium* habuisse refert. *Sextum* addit FAVSTVS, qui plenissime omnium hoc argumentum exposuit. vid. *Stamm*. p. 219. seqq. conf. FABRIC. cit. p. 101. Qua de re, nescio, quid sentiendum sit de scripto, quod HORTLEDER. exhibet, L. III. c. 86. atque, an unquam *Mauritius* in illam, quæ ibi legitur, formulam consenserit, vehementer dubito. Nam nec MÜLLER. nec FAVSTVS, ubi *Jutrebocensem* conventum commemorant, illius mentionem faciunt, & ex ipso HORTLEDERO patet, de illa conventionione inter *Mauritium* & *Jochimum Brandenburgicum* inita dudum ab aliis dubitatum esse: Saltim intra conatum res substitit, ac Princeps Optimus, meliora edoctus, circa sacra subditorum nihil quicquam immutandum duxit.

Legatos
mittit ad
Concilium
Trident.

(c) Cum urgeret *Mauritium* Cæsar, ut ad Concilium Tridentinum suos quoque Theologos mitteret, non alia conditione, illud se facturum, promisit, quam si & *Augustana* Confessionis Theologi audirentur, & Pontifex Romanus se concilio submitteret, & Episcopis æque ac purpuratis jurandum remitteret, ut eo liberius sententiam suam exponere possent. vid. FABRIC. L. IX. p. 102. Tandem misit quidem Legatos suos Tridentum *Mauritius*, qui, ut securitati Theologorum Saxoniorum plenissime, salvo conducto præfinito, caveretur, contenderunt, sed mox rebus infectis domum eosdem revocavit. Cumque postea arma adversus Cæsarem verteret MAURITIVS, fama de adventu ejus *Tridentum perlata*, in fugam omnes dilapsi sunt, & consultationes illæ de religione usque ad ann. 1559. intermissæ fuerunt.

runt. vid. STRAUCH. *Exerc. Exoter. pag. 214. & p. 378. seqq. & Arnoldum.*

(d) *Passaviensis Pacis* instrumentum post GOLDASTVM & HORTLEDERVM, SCHILTER. *de Pace religiosa c. 2. §. 32. p. 120. seqq. & CORTREJUS* exhibent. Hujus caput præcipuum fuit de libertate religionis. Cautum enim fuit sanctione hac, ne cuiquam religionis causa lis inferretur. Adeoque is, quem vulgus a sacris purioribus alieniorem credebat, prudentia & industria nobis, DEO conatus justos adjuvante, restituit rem, & quod alii frustra conati fuerant, ipse felicissime perfecit. De justitia ipsius foederis multæ multorum commentationes extant. Nolo repetere, quæ centies ab aliis dicta sunt. Qui de sacris & religione transigi non licere objiciunt, Jus tolerantia & coactionis confundunt. Cogere dissentientes ad veritatem, quam non assequantur, iniquum est, ferre dissentientes, qui veram se credunt sequi religionem, non modo injustum non est, sed & fere necessarium. Qui vero ideo hujus foederis validitatem in dubium vocant, quod Carolo id extortum fuerit, iis dudum alii satisfecerunt. Vid. inprimis SCHWEDERVM *de Pace religiosa*. Sed de his pluribus §. *sequenti* agemus. Nunc *Mauritii* ex his pro Evangelica doctrina sollicitudinem satis est evicisse.

(e) Dixi enim, hoc quoque Directorii Jus in *Mauritium* transiisse. Cujus vestigia in transactione Passaviensi apparent. Neque *Ernestine* Lineæ Principes unquam hoc Jus nostris in dubium vocarunt, qui de *Vicario Directorio* tantum cum Brandeburgico contendunt. vid. DN. GRIBNERI *Programm. de hoc argumento, lit. a. l. & m.* Miror itaque STRUVIUM novissime *Diss. XXII. §. 44. pag. 484.* tradere, Protestantes Directorium Saxonicum demum a tempore *Pacis Westphalica* agnovisse. add. eund. *Diss. XVII. th. 36.* ubi

E

per-

Mauritius
Director
Protestan-
tium.

perperam Altenburgicos hoc Directorium in ipsis Tractatibus pacis illius exercuisse tradit, cum *cit. p. 454.* contra ne vicarium quidem Directorium, quod illo tempore penes illos aliquantisper fuit, *Ernestina* Lineæ relinquat, sed in Electorem Brandeburgicum transferat.

§. X.

Justitia
Belli ad-
versus Cæ-
sarem.

Venio ad bellum contra Imperatorem gestum, (a) quod non tam intulit ei noster, quam ostendit, & impetratis iis, (b) quæ denegare Imperator minime poterat, arma in Turcam hostem Imperatoris vertit. (c) Hujus belli justitiam alii vocarunt in dubium, sed causam, quæ integris libellis vindicata dudum est, prolixius asserere non est necesse.

(a) Multi sane justitiam hujus contra Imperatorem suscepti belli in dubium vocare sunt conati, inter quos Principem locum tenet *Autonomia* Auctor *Franciscus* BURCHARDI, Electoris Colonienſis Cancellarius, de quo vid. *Bernard. ZIERITZ in Disc. Apolog. pro ſœdere Smalcald. Tb. 15.* Hunc excipit *UNGERSDORFFERUS in seiner Verantwortung* / & *Joannes Paulus WINDEC.* in libro *de extirpandis hæresibus & de Prognostico futuri status ecclesiastici.* Neque prætereundi sunt *JCti Dillingenses*, qui in famoso, *de compositione pacis*, libro, Mauritii famam lædere, irritò tentarunt conatu. His singulis se opposuit *CRULLIUS in vindictis Mauritii, Lipsiæ anno 1631. editis*, qui otium nobis fecit. Neque enim animus est immorari illis, in quibus alii jam multum occupati fuerunt. Itaque, Mauritium quæ compulerint ad capiendam arma, causas indicare sufficiat. Potissimum Soceri
Phi-

Philippi, Hassiæ Landgravii, captivitas, imminuta Germaniæ libertas, & oppressa ubique purior religio eum commovebant. Ipse has causas allegat *Mauritius* in Epistola ad Duce[m] Sabaudia, Lintii scripta. *Fidei*, inquit, *nostræ*, quam *infau-*
stissimo illo tempore, quo *socer & consanguineus noster*
Landgravius Hassiæ, præter formulam transactionis cum
 Cæsarea Majestate inita, *custodia mancipatus fuit*, illi, filiisque
 illius dedimus liberande, *infamiaeque ac ignominiae*, quam eo
 nomine totum jam fere *quinquennium* sustinuimus, a nobis
 amolienda, nec non *communis Germaniæ libertatis multis par-*
tibus jam imminuta atque oppressa, utcumque vindicanda *cau-*
sâ *inviti*, prorsus & diu *reluctantes ad arma capienda com-*
pulsi sumus, quæ antea sepe pro ipso Cæsare ferre consuevimus.
 Vid. LUNIG. *litteras Procer. P. I. p. 3.* Philippum enim, Haf-
 siæ Landgravium, Principem magnanimum, & alienæ pote-
 statis impatientem, vid. THUAN. *Lib. IV. Hist. fidem Mau-*
ritii, Joachimique Brandenburgici Electorum sequentem, (qui
 Philippo promiserant, si præter capitulationis formulam illi
 aliquid accideret, aut si carcere ab Imperatore detineretur,
 se non recusaturos eandem fortunam subire) contra datam
 fidem, cavillatione scripturæ, per quinquennium in captivi-
 tate Imperator detinebat, & sæpius licet rogatus, nulla ra-
 tione tamen adigi poterat, ut pristinae illum libertati resti-
 tueret, conf. *Epistola Mauritii ad Cæsarem data*, apud HORT-
 LEDER. *T. II. L. V. C. I. n. 10. & eund. HORTLEDER. L. III.*
c. 84. p. 918. & inprimis L. V. C. I. seqq. & L. V. c. 4. p. 1295.
seqq. Ex quo abunde constat, deceptos fuisse a Carolo
 Electores, *Mauritium*, & *Joachimum*, atque unius literæ aut
 immutatione, aut scriptura ambigua elufos. Quod quidem
 factum cum tanto Scriptorum illius temporis consensu tra-
 datur, frustra vocat in dubium PERIZONIUS, quem
 refellit antea hujus nostræ, nunc Juliæ Academiæ Decus, Au-

gustinus LYSERUS, in *Programmate*, quod *Orationi solemnī*, qua *Professoris munus auspiciatus est*, *promisit*. Urgebant autem *Mauritium* Landgravii filii, atque ut *promissioni suæ satisfaceret*, & *carcerem ipse subiret*, postulabant. Itaque pro liberando Socero tandem, cum alia ratione expugnare Imperatoris animum non posset, arma noster suscepit, add. CORTREJ. *ad Transact. Passav. p. 112. seqq.* Præterea libertatem & religionem oppressam allegavit Elector, & Marchio Brandeburgicus. Quas causas plene deduxerunt in libellis, quos vulgo *Manifeste* vocamus, qui apud HORTLEDER. *d. L. V. c. 3. & 4.* leguntur, dignissimi omnino, qui sæpius legantur. Neque frustra, quæ ibi afferuntur, dicta esse, sed Germanorum libertatem, & Protestantium Sacra non extra periculum constituta fuisse, facile dabunt, quibus temporis illius memoriæ non sunt incognitæ. Quod si itaque Jus est Imperii Ordinibus, jura sua tueri, Sacrorum libertatem vindicare, a Cæsare, ut promissis stet & satisfaciatur, contendere, atque hæc, si alia ratione non liceat, armis etiam vindicare; justissimas sane *Mauritius* causas habuit arma capiendi, quæ ea moderatione, ea pietate suscepit, ut nihil peteret, nisi quod jure denegare Cæsar non poterat, eoque impetrato statim illa poneret, & stringeret adversus ipsos hostes Imperatoris. Cæterum Ordines Imperii *Mauritii* causam plerosque approbasse, *Lazari Suendii*, Cæsarei Legati, & Ducis testimonio constat, quod ARNOLDUS & GOLDASTUS *de Statut. & Rescript. Imp. p. 213. & CHYTR. in Sax. L. XVII. pag. mea 508.* confirmant: sed & ipsum Ferdinandum æquitatem eorum, quæ *Mauritius* postulabat, ultro agnovisse, notum est.

(b) Cum summa felicitate *Mauritius* susceptum bellum gereret, præter opinionem fere occupasset Cæsarem, nisi nocte concubia, ille Oeniponte abiisset. ARNOLDUS ait, plu-

plures fuisse in ea sententia , ipsum *Mauritium* , ne voluisse quidem Cæsarem capere , sed lubenter fugæ spatium concessisse , eamque ob causam ulterius non esse persecutum . Utcunque fuerit , id certum est , *Mauritium* omni studio id egisse , ut lis hæc quamprimum componeretur . *Non ii sumus* , scribit in literis ad Ducem Sabaudia , *qui , ubi quæ æqua sunt , impetraverimus , & tam honoris nostri , quam libertatis communis ratio habita fuerit , non facile ad pristinam erga Cæsaream Majestatem* (cujus causa nos antea toties vitam fortunæque nostras periculis exposuisse Celsitudo vestra non ignorat ,) *fidem & obsequium redire , & hæc ipsa arma , quæ nunc cepimus , aut rursus deponere , aut etiam recta adversus communem religionis nostræ hostem , Turcam , convertere possimus* . Itaque statim cum Ferdinando de conditionibus pacis per internuncios egit , atque aliqua controversiarum capita jam LINZENSIS illa transactione Kal. Maji inita composuit , quam HORTLEDER L. V. c. 10. & CORTREJUS L. c. p. 41. exhibent , de cæteris vero celebri illa & æternum memorabili *Passaviensi conventionem* transegit , quæ , cum passim exhibeatur , actum agerem , si articulorum capita & summam prolixè velim recensere . CORTREJUS singulos articulos eruditè annotationibus illustravit , quæ primo Tomo *Operum* extant , cui adjungendus est SCHILTERUS , in aureo *de Pace religiosa* libello . Quos , qui adierit , facile fatebitur , omnes æquissimas justissimasque esse , in quas convenerunt paciscentes , conditiones .

(c) Pace impetrata sine mora eo ipso anno *Mauritius* in Ungariam contra Turcas arma vertit , maximo periculo sponte se objecit , terrorem hostibus injecit , Rabam , urbem , in extremis Ungariæ finibus sitam , contra incursiones Barbarorum munivit , Ferdinandi res nutantes sustentavit , Cæsarique fidem abunde probavit . Hæc auxilia jam ,

ut dictum est, antea promiserat *Sabaudo & Ferdinando Regi*, quod ex Tabulis Passaviensibus apparet, ut dictu difficile sit, utrum majorem curam pro libertate Imperii gesserit Mauritius, an pro Imperatoris auctoritate eo etiam ipso tempore, quo contra eum invitus ad arma vocabatur. Fortitudinis summam apud omnes illustri hac expeditione gloriam est consecutus, ut recte satis GIOVANNI scribat: *Illo quoque anno copiis Imperatoris Turcici Solimanni in Hungaria se opposuit, easque ita continuit, ut uno eodemque anno duobus potentissimis Monarchis in Asia & Europa terrori esset.* lit. t. p. 60. Adde ARNOLD. qui, quantus fuerit terror Turcarum, prolixè exponit, atque addit, non parum illum auctum fuisse *antiqua traditione, qua ex Saxonica Gente Ducem Turcico Imperio magnam cladem daturum, ipsi olim Turcæ crediderint.*

§. XI.

In primis justitia fœderis, cum Galliarum Rege initi, vocatur in dubium, (a) sed qui jus fœderis condendi Ordinum Imperii non ignorat, causamque & conditiones hujus fœderis expendit, is facile ab illa, quam Mauritio imputant, culpa, eum absolvit. (b)

Justitia
fœderis
cum Rege
Gall. initi.

(a) Hoc quoque argumentum jam a CRULLIO, BRANDIO aliisque occupatum est, itaque spicilegium tantum observationum dabo, de cætero me referam ad eos, qui ante me in vindicanda hujus fœderis justitia occupati fuerunt. Fœdus cum Rege Galliarum inquit *Chamborticum*, quod Chamborti contractum sit, vulgo vocatur. BODINUS de *Rep. L. V. HEIG. P. I. qu. II. n. 13.* Hoc in dubium vocat, & fœdus non Chamborti sed *Fridenwaldæ* Hassorum coaluisse asse-

Ubi id initum.

asserit SCHURTZFLEISCHUS *Epistol. Tom. I. Epist. 161.* qui *Waremundi ab Ebreberg. d. fœder. L. II. n. 40.* auctoritatem videtur esse secutus. Sed diversæ sunt illæ sententiæ, non contrariæ. Et Fridenwaldensæ & Chamborticum hoc fœdus dici potest. Nam Fridenwaldæ illud cum *Joanne de Fresse* (Fraxineo) *Bajonensi Episcopo* initum fuit, *d. 5. Octobr. an. 1551.* Confirmatum *Chamborti & ratum habitum d. 5. Jan. 1552.* Ipsum Instrumentum LUNIGIUS exhibet *Tom. II. Continuât. p. 293.* Quod, unde acceperit, & an transumptum fide dignum sit, aliis dijudicandum relinquo, cum quædam eo contineri videam, quæ tabulis illis inserta fuisse, Viri fide digni olim negarunt. vid. HORTLEDER. *l. 5. c. 3. p. 1293. lit. a.* Utinam vero copia mihi fieri potuisset *chartarum, quas manu exaratas de justitia hujus fœderis consecutum se esse proficitur* SCHURTZFLEISCHUS, *d. Ep. 161.* Nam singularia & plane selecta in illis se reperisse scribit. Sed id quod exempli loco assert, *de fulgore conclave illustrante*, in quo legati Fridenwaldæ convenerunt, jamdudum WARENBERGIUS & CRULLIUS *n. 201.* commemoravit. Hic tamen fallitur, dum *Baronensem* (*Bajonensem* debebat dicere) *Hassiacum Ministrum* fuisse scribit, quem Legatum Gallicum fuisse, notissimum est.

Tabula
fœderis.

(b) Jus Imperii Principum condendi fœdera, quod novissime *Instrum. Pac. Osnabrug. art. 8.* confirmavit, certius est, quam ut novas vindicias desideret, & plenius assertit BRUNNEMANNUS *in Dissert. de fœder. Statuum Imperii cum exteris. add. LIMN. ad Aur. Bull. C. XV. §. 2. obs. 2.* DATT. *d. Pac. Publ. L. I. c. 1.* Neque interest, utrum inter se, an cum aliis Principibus, fœdera pangant. Utrumque enim ipsis omni tempore licitum integrumque fuit. Ergo quod cum Rege Galliæ pactum Mauritius iniit, id ei crimini verti non potest, cum illo tempore is Imperii hostis non esset, sed libertatis etiam Germanorum defensore ultro se offer-

Jus Prin-
cipum Im-
perii con-
dendi fœ-
dera.

Vc.
2767.
Ga

ferret. Itaque hoc foedus non contra Imperium, sed in utilitatem ejus contractum est, si salutem Imperii non ex Caroli V. arbitrio, sed ex voto Ordinum aestimes, quorum libertati prospiciendum erat. Quod si contra Caesarem tamen id factum urgeas, non dubitandum esse regeram, quin contra quem arma capere licet, contra eum etiam foedera contrahere liceat. Si justitiam belli igitur Mauritanii vindicaveris, foederis quoque hujus justitiam facile erit tueri. Obstringuntur Principes Imperii Imperatori, quousque salus Imperii id patitur, ac limitata ille potestate contentus, jure suo quemlibet uti permittit. Sin: potior communis libertatis, religionis & Imperii causa est, quam Imperatoris. Sed nolo plura. Nam jam professus sum, me breviorum fore in iis, quae ab aliis jam tradita sunt, & integris Dissertationibus discussa.

§. XII.

Ab hoc foedere utrum recedendi justas causas Mauritius habuerit.

Quod vero ab illo foedere deinceps recesserit, ejus rei sane cum arma Gallus in perniciem Imperii verteret, justissimas ille habuit causas, ut contra Gallorum calumnias facile sit hoc quoque nostri Principis factum tueri. (a)

(a) Foedus enim non violatur, si ab eo receditur per rationem justam. Mauritius, confederatique ipsius, nulla alia causa bellum Imperatori intulerant, quam ut Imperii libertatem restaurarent, Principesque captivos liberarent, & religioni puriori prospicerent. Cum desiderii annueret Imperator & consiliis æquis locum relinqueret, omnem & belli & foederis cessare causam recte Mauritius judicabat. Ne tamen incio aut invito socio pacem iniret, rem ad Regem Galliae retulit, & ut ipsius Legatus ad consultationes Pallavienses admitteretur, curavit. Quod cum Gallo Casa-

ri
reliqua auctoritate publica suppuga, et
typis non descripta.

nc

ULB Halle

3

006 559 271





h. 23, 8. QN. 23 (8)

2. D. B. V.

Vc
2767

IUSTITIAM BELLE
ET PACIS

GLORIOSISS. PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIÆ

MAURITII

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPE REGIO ATQUE ELECT. SAXON.
HEREDE ETC. ETC.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
POTESTATE
AB INCLUTO JCTORUM ORDINE
FACTA
PRÆSIDENDO

PHILIPPVS FERDINANDVS
A KUHLWEIN

UNAQUE RESPONDENDO TUEBITUR
GEORGIUS BENEDICTUS BEYER.

AD D. XXII. OCT. MDCC XII.

VITEMBERGÆ,
PRELO CHRISTIANI GERDESII.

3342

